



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

De Gometio Equite, fundatore Militum Ordinis de Alcantara. cap. LXXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

- VII. Guadalupi, anno 1516.
 VIII. Burgis, anno 1523.
 IX. Madridij, anno 1535.
 X. Madridij II. anno 1552.
 XI. Toleti, anno 1560. Si quæ sint alia, hæcenus mihi ignora.

Scriptores Ordinis Militum de Calatraua.
 Cap. LX XIX.

RATER Franciscus de Rades & Andrada, Hispanus, Ordinis Calatrauæ Miles, & Regis Hispaniarum Sacellanus, scripsit Historiam Ordinum Militarium, quæ excusa est, sed ubi, & quo uixerit tempore ignoro.

De Gometio Equite, fundatore Militum, Ordinis de Alcantara.
 Cap. LXXX.

EQUITUR deinde secundus Stellatus, eodem habitu, Candido scilicet, sed Corona Regia carens. Is fuit Gometius Fernandus, nobilissimus Miles, qui anno Domini 1170. Ferdinando II. Castellæ & Legionis Rege feliciter regnante, Ordinem Militum Sancti Iuliani de Piro, sic dicti, quod in eo oppido quod decem milliaribus a Rodrico ad Coam, Regni Legionis tunc, nunc Lusitaniæ, distat, primum Ordinis cœnobium exstructum sit, fundauit. Ordinem primus probauit Alexander Papa III. anno 1177. comprobauit Lucius, item III. anno 1183. & a Diæcesanis exemit, addita Diui P.N. Benedicti Regula, quam sequerentur. Confirmauit tertio, Innocentius & ipse III. idque anno 1305. Insigne tum illis fuit, Arbor Piri uiridis, in auro, quod postea mutatum. Donati exinde Alcantara oppido Regni Castellæ, anno 1218. liberalitate Nunnij Fernandi, duodecimi Calatrauæ Magistri, vnde tanquam ex arce munitissima, atque firmissimo propugnaculo in hostium fines incurrerent, illorumq; impetus propulsa-
 rent, ut beneficium beneficio rependerent, illius Religionis habitum sumpserunt, & ab oppido Nouo, Alcantaræ Milites dicti, quod usque in hodiernum manet. Hoc Alcantaræ militibus initium fuit

H tenuè

tenuè & inualidum ut ferè rebus magnis. Cucullum & rubram faciam, qua longo tempore distingui consueuerunt, cruce uiridi florida in candido scapulari mutarunt, anno 1411. cum Calatrauæ milites, quibus olim subditi fuerunt, nunc uix contributi, Rubræ Crucis figura, florida in albo clypeo, Auifii uero eodem crucis signo, in auro, utantur. Officium eorum quod idem est cum Calatrauensibus, & Auifianis militibus, hoc modo peragitur. Ad matutinum, *Deus in ad. Domine labia*, Ter. *Kyrie eleison*, *Christe. Kyrie. &c.* deinde uigesies, *Pater noster*, & in fine uniuscuiusque, *Gloria*, ad ultimum *Pater Per dominum nostrum. Domine exaudi, Benedicamus Domino.* In diebus festis, XII. Lectionum, & Duplicibus, officium duplicant, id est 40. *Pater noster*, Pro laudibus, decem *Pater*, Pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, quinque *Pater*, pro unaquaque hora. Pro uesperis, decem, Pro Completorio, quinque; & semper incipitur, & terminatur officium sicut in Matutino: excepto *Domine labia*.

Omni die Lunæ, quando festum non occurrit, dicunt septem *Pater*: pro defunctis, ad unumquodque adiungentes, *Requiem*, & in fine *Requiescant in pace*.

Omni Feria Sexta, per totum annum, totidem, cum *Gloria Patri*, Sed his diebus Prior claustralis, & cæteri milites, qui in claustris habitant, dicunt septem Psalmos cum Litanis. Singulo quoque anno, incipientes post festum S. Lamberti, tenentur recitare decies totum psalterium pro mortuis fratribus, & post unumquodque Psalterium, 150. *Pater noster*, cum *Requiem*. Sed Prior, & Sacerdotes eorum loco, dicunt & celebrant uiginti Missas pro defunctis.

Quoties quis Fratrum moritur, recitant 150. *Pater noster*, Prior, & Sacerdotes, tres Missas celebrant. Item omni anno ipso die feriæ quintæ in Cœna Domini, tenentur recitare 150. *Pater noster*, cum *Gloria Patri*, & hoc per totam Feriam V. & sequentem. Forma professionis eorum, quam accepi ex libro institutionis illorum, composito per F. Petrum Gutierrezium, tit. 15. cap. 5. talis est.

Domne Frater. N. Ego Frater. N. Miles Ordinis Alcantaræ, professionem facio Deo, & Domino Magistro, & Vobis qui eius nomine hic estis, & promitto uobis Obedientiam, Castitatem conjugalem, & conuersionem morum meorum, de bene in melius, omni tempore uitæ meæ usque ad mortem, secundum Regulam Sancti Benedicti, & modum uiuendi concessum huic Ordini de Alcantara.